ORATIO DE HISTORIAE PRAESTANTIA. HABITA A PETRO VVESENBECIO ..

Peter Wesenbeck

Digitized by Google

Oratio.

NON eram neſcius, cum hunc locum iuberer conſcendere, ex mandata mihi muneris & officij præſentis curatione à Collegio laudatiſſimæ facultatis Iuriſperitorum, annuente quoque clementiſſ. voluntate & permiſſu Illuſtriſſ. & Generoſiſſ. Princip. Ducis Saxoniæ Chriſtiani, Principis VIIviri Domini noſtri clementiſſimi: non eram neſcius, Magnifice Domine Rector, illuſtres & Generoſi Comites, Viri reuerendi pietate, ſapientia, dignitate, Nobilitate, doctrina, ac humanitate præſtantiſſimi, atque omniũ ordinum ornatiſſimi auditores, vosq́ liberalium artium ac diſciplinarum ſtudioſi adoleſcentes: non eram, inquam, neſcius, & quid huius loci auctoritas, & quid conſuetudo ferret ſcholæ noſtræ, quodque mihi ad dicendum in præſentia argumentum præſcriberent leges maiorum noſtrorum, virorum omni virtutum ac prudentiæ laude præditorum.

Itaq; etſi haud quaquam mihi anxiè ac ſolicitè diſpiciendum erat, quibus de rebus in hoc honoratiſſimo conuentu verba facerem, dictan'e mihi argumentum cum multis iam retro annis recepto Collegij huius more, tùm inſtitutis veterum: tamen non mediocrem

mihi dubitationem attulit hæc cogitatio, conſuetudiniſne magis ac legum in hac concione, an vero aurium & attentionis veſtræ rationem haberem. Atq; diu quærenti, animumq; huc illuc verſanti, viſum tandem eſt, magis eſſe conſultum in medium afferre aliquid, quod aures & animi veſtri iucundè ac ſine faſtidio acciperent, quám cum ſatietate atque adeo nauſea auſcultantium, cramben toties recoctam apponere. Quamobrem cum ſic ferente more, & inſtitutis præceptorum noſtrorum, de dignitate ac præſtantia Iuriſprudentiæ, ac legum auctoritate, ab ijs, qui me anteceſſerunt ſæpenumero, non ita dudum verò à me quoque ſub auſpicium doctrinæ publicæ, pleriſq; ex hoc cætu auſcultantibus atque arbitris, prolixè & accuratè verba facta ſint: non venit mihi in mentem vereri, vt factum hoc meum neglectæ conſuetudinis & ſanctionum ſcholæ huius, in ſiniſtram raperetur partem: ſed planè in eam adducebar perſuaſionem, me ab illis aliquantulum deflectentem non ſolum cum bona venia veſtra ex hoc celeberrimo congreſſu diſceſſurum: ſed etiam laudem nonnullam ſtudij & conatus gratificandi vobis omnibus reportaturum eſſe.

Non enim me fugiebat in vita humana ſic eſſe comparatum, vt ſatietatem afferat ſimilitudo, delectet autem varietas & viciſſitudo rerum atque com-

mutatio.

mutatio. Quod non modo in eſculentis, quæ per os ac fauces in ventrem ingeruntur, vſu venire videas, ſed etiam in animi cibo, qui per aures vehiculo quodam ſermonis & orationis defertur ad mentem, quæ paſtu illius fruitur ac iucundè alitur.

Hujus igitur oblectationis ac voluptatis veſtræ habita mecum ratione, auditores ornatiſſimi, in hac receptæ conſuetudinis mutatione adductus atque commotus, quod pace veſtra mihi liceat, atque integrum ſit, conſtitui in præſentia, nonnihil verborum facere de hiſtoriæ præſtantia quantum & temporis anguſtia, cuius præcipua pars actus huius ſolennitati tribuenda eſt, mihi ad perorandum ſpatij conceſſerit, & æquanimitas veſtra non grauatè annuerit. Quæ dum à me fient breuiter, & vt infantia mea fert, absque fuco aliquo verborum & comtu ſententiarũ: quæſo aures veſtras & animos mihi paululũ cômodate, cum ſilentio & attentione auſcultantes ad ea, quæ de argumento propoſito à me commemorabuntur. Qua in re ſi benignos vos mihi & beneuolos præbebitis: pro mea virili operam dabo, atque (vt ſpero) efficiam, vt ne vos temporis huius iacturæ, quam me audiendo feceritis, poſſit pœnitere. Atq; mihi quidem de ijs, quæ ad dicendum ſunt propoſita, paulo attentius cogitanti, obiectum video argumentum eiuſmodi, cuius principium quidem perſpicere liceat, exitum

autem inuenire haudquaquam ſit in promtu, Itaq; non tàm de copia mihi verborum laborandum animaduerto, quàm modu n ſtatuendum orationis huius, ne veſtra abutamur benignitate & patientia. Dicendum eſt enim mihi de hiſtoria, quam ſi à dignitate æſtimes ampliſſimam, ſi ab vtilitate fœcundiſſimam, ſi ab animi denique oblectatione jucundiſſimam eſſe appareat. Quarum rerum magnitudinem cum vix animo ac mente complecti vniuerſam poſſim, quonam pacto verbis & oratione eam conſequi debeam, non reperio.

Verum enimvero, ut inde orationis hujus proficiſcatur initium, vnde diſciplinæ cujusq; præſtantia æſtimari ſolet ac debet: non obſcurum eſt, qui auctoritatem hiſtoriæ conciliare voluerunt, originem eius prodidiſſe diuinam. Neq; enim aliter fieri decet ac par eſt, quàm vt omnia bona referamus ad cauſam boni in natura unicã & ſummam, æternum Deum, quo nimirum conteſtemur ac profiteamur, ad hujus auctoris gloriam omnes ſtudiorum noſtrorum conatus ac laborum contentionem, veluti ad finem profeſſioni pietatis conſentaneum, referenda eſſe. Itaq; ſicut vetuſtas illa Ethnica, in verbi diuini ignoratione nequaquam mundanæ expers ſapientiæ, immo hujus ſolertia etiam filijs lucis, quos ſcriptura ita appellat, antecellens, literarum politiorum & humanitatis inuen-

tum

tum ad Calliopen retulit, Aſtrologiæ ad Vraniam, facultatis dicendi ad Polyhymniā, aliarū deniq́ artium & doctrinarū reperta alijs attribuit dæmonibus, quibus etiam nomen hoc apud Græcos inde factum exiſtimatur, quaſi rerum & artium ſcientia præditis, intelligentiaq́ valentibus & ſapientia: ita facultatis hujus quæ in expoſitione rerum geſtarum à noſtra memoria remotarum atq́ antiquitatis inveſtigatione occupata eſt inventionem, ex Muſarū novem choro acceptam retulit illi præcipuè, cui à laudum celebratione ac virtutis præconio, Cleius nomen eſt inditum: tametſi parens hiſtoriæ Herodotus non hujus magis quàm cæterarum omnium hoc inventum eſſe, eo nimirum innuere voluiſſe videatur, quod hiſtoriæ ſuæ libros ſingulos ſingulis Muſarum nominibus inſcripſit. Sed cui veſtrum obſcurum eſſe poteſt, quod res loquitur, Dei deorumque appellatione & nominibus, indicatam eſſe aliquam rerum hominumue bonitatem excellentem, laudem & vtilitatem.

Itaq́ Apollinis et Muſarū nominibus ſignificarunt optimarum artium & humanitatis ſtudia, Mineruæ appellatione egregia ſapientiæ, prudentiæq́ & ſolertiæ ac fortitudinis opera: aliorumq́ ita numinum mentione alia. Sed iſta ſcilicet fabularum ſunt commenta, quibus ſicut fidem ſimpliciter adhibere ineptū fuerit,

 ita

ita quod his innuitur quaſi in volucris veritatis hiſtoriæ inuentum diuinum credere, meo quidem iudicio minimè culpandum videtur. A Latinis quidem ſerò admodum, nec ante Saturni in Italiam aduentum, antiquitatis veteriſque memoriæ recordationem, quam hiſtoriam appellamus, cognitam receptamq́ eſſe de eo quidam coniecturam fecerunt, quod Tritonas cum buccinis faſtigio ſedis Saturni ſuperpoſuerunt: vt iudicarent nimirū, quod antiquitatis peritis videtur, ab eius aduentu, ad poſterorum vſq; ætatem hiſtoriam elatam, & quaſi vocalem effectā eſſe, cum ante id tempus muta iacuiſſet, & obſcura atque incognita: id quod & Tritonum caudæ, humi demerſæ & abſconditæ, præ ſe ferre putabantur. Sed quicquid ſit, ea nec in ſequentibus ſeculis admodum apud Romanos exculta fuit. Etſi enim poſt pontifices, qui res omnes ſingulorum annorum, memoriæ publicæ retinendæ cauſa literis mandare, atque in album efferre conſueuerant, Fab. Pictor, Cato, Piſo, Siſenna hiſtoriam condere cœperunt: tamen ij adeò exiles atque eneruati fuêre, vt horum ſcriptis extantibus, nihilominus ſuæ gentis hiſtoriam requirat, M. Tullius. Quid ita? quod nulla vel tum cum maxime imperium ac literæ florerent, lectu digna eſſet.

Cic. 2. de orat. Et Liuius lib. 1.

Apud Græcos autem maior gloriæ & immortalitatis

talitatis, quàm apud Romanos, cupiditas atq́ appetitio in cauſa fuit, ut multò antè cùm ſapientiæ & literarum ſtudia, tùm memoria rerum geſtarum vigeret, atq; celebraretur ingeniorum monumentis. Nam (ſi Plinio fides tribuenda eſt) primus apud eos Cadmus Mileſius hiſtoriam condidit. Sed hoc tamen ipſo multò antiquiores fuère Ægyptiorum & Babyloniorum Sacerdotes, qui, quemadmodum in Romana Repub. Pontifices Maximi, ita ipſi ſingulorum annorum acta & res geſtas Hieroglyphicis literis mandabant, ſine ullis ornamentis ac cultu orationis, monimenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumq́ rerum relinquentes. Quæ quidem acta, quod per annos eſſent diſtincta, Annalia ex eo appellari cæpere.

Vèrum enimvero quæ hactenus à nobis commemorata ſunt de hiſtoriæ auctore, fortaſſe locum habuerint de gentium hiſtorijs: cum de Eccleſiæ hiſtoria, quæ illis & argumento antecellit, & veritatis certitudine præſtat, aliter ſe res habeat. De hujus igitur primo omnium ſcriptore ſi Ioſepho graviſſimo authori aſſentimur, primus omnium, quotquot uſpiam terrarum fuere hiſtoricorum, Moſes extitit; cujus originum liber, quam Geneſin interpretati ſunt, omnium ſcriptorum antiquiſſimus, res geſtas mundi univerſi ab orbe condito perſequitur, uſq; ad Ebræo-

rum ex Ægypto in Palæſtinam migrationem. In quarum quidem rerum expoſitione, non ſolum ſicut in Ethnicis narrationibus exempla proponuntur virtutum & vitiorum, ac teſtimonia ſapientiæ ac iuſtitiæ Dei in conſeruatione imperiorum ac politiarum, atque ſubjectione pœnarum, tyrannidis, injuſticiæ, & libidinum: verum etiam documenta extant illuſtria præſentiæ diuinæ in familijs ſanctorum patrum, & cuſtodia ac ſuſtentatione mirabili Eccleſiæ Iſraëlitarum in Ægypto, in mari rubro, in deſerto, cum promiſsionibus evidentiſsimis miſericordiæ & gratiæ, quæ Euangelij ſunt propriæ, ac conſolationibus piorũ in ærumnis, ac doctrina de fide, de vera inuocatione, & cæteris cultibus Deo placentibus: cum exempla illa Ethnicarum hiſtoriarum duntaxat legis ſint conciones, inculcantes admonitionem illam grauiſsimam verſus Virgiliani:

Diſcite iuſticiam moniti, & non temnere
divos.

Sed vt ad Moſen redeamus, hoc ipſo multò antiquiorem Abrahamũ Vrenſem ſunt qui parentẽ hiſtoriæ Ebræorum atq; adeò primæ omnium fecerint, memorantes ab eo cœli & terræ primordia enunciata fuiſſe, quæ deinde Moſes literarum monumentis prodita nobis reliquerit. Verùm & ante Abrahamum

*mum hiſtoriam illam Sethi filios, Adami nepo-
tes, multis retro ſeculis, in duabus columnis late-
ricia una, & altera marmorea incidiſſe, idem Io-
ſephus memoriæ prodidit, ut ſecundum hujus opi-
nionem, ab ipſo mundi exordio inventionis hujus
initium repetendum eſſe videatur. Neque verò
defuere, qui tradiderint Noëum poſt inundationem
orbis terrarum, ad radices Gordiei montis Armeniæ
inſculpſiſſe in ſaxo, quæ digna judicârat memoriæ
hominum ſempiterna. Quid? quod hiſtoriæ incuna-
bula nonnulli à Nini regis Babylonici temporibus
deduxëre, quòd hic bella finitimis inferendo primus
omnium veterem & quaſi avitum gentium morem
nova imperij cupiditate mutaſſet? Quæ cum ita ſint,
quærat aliquis, quid in tanta ſcribentium varietate,
de inuentore illius pronunciandum ſit? Illud, inquam,
quod maximè videtur vero conſentaneum, natales e-
ius vnà cùm mundi ipſius primordijs extitiſſe, rerum-
que veterum memoriam ante inventas literarum no-
tas, non in librorum paginis, ſed in hominum animis
hæſiſſe. Eſt enim inſita unicuiq; noſtrum, vel po-
tius innata, cognitionis & ſcientiæ rerum præterita-
rum cupiditas: & voluerunt ſemper homines, non
modò quæ ipſi geſſiſſent, nota eſſe alijs, ſed etiã maio-
rum ſuorum facta, ad omnem poſteritatem prædicari.
Itaq; ne ipſorum geſta temporis vetuſtate ac ſitu ob-*

 litera-

literarentur, & vt exemplis parentum informarentur liberi ac nepotes: ſingulari quodam conſilio, quæ à majoribus auditione ipſi acceperant, ea narrando filijs ſuis reliquerunt, vt fama & ſermone tanquam ſucceſſione quadam hæreditaria, ad poſteros peruenirent: quæ deinceps progreſſu temporum, nondum reperto literarum vſu, primum ſignis hieroglyphicis, paulò poſt excogitata ſcribendi ratione, monumentis ſcriptorum commendata ſunt. Quamobrem quæ de mundi creatione, quæ de lapſu primorum parentum, de venturo ſemine muliebri, de vita primorū illorū Heroum, de Iſraëlitarum ex Ægypto migratione, de religionis ortu ac propagatione libris ſuis Moyſes conſignauit, ea multis ante ipſum ſeculis Hebræi ab Adamo vsq; per filios ac nepotes ejus propagata, ſuis uſurparunt ſermonibus.

Ac Græcos multa antiquitatis habuiſſe monumenta, non illa quidem ſcriptis comprehenſa, neq; quo more Ægyptij, Chaldæi, Babylonij, aſſeruare illa conſueverant, notis quibusdam deſignata, ſed auditione tantum & fama à priſcis accepta: ex Platone teſte grauiſſimo qui volet, planum fecerit. Prolixior ſum, Auditores ornatiſſimi, in relegenda hiſtoriæ origine, quàm temporis anguſtia pati videtur: breuior certè, quam rei ipſius magnitudo poſtulat.

Verun-

Veruntamen cum ex hactenus, quantumuis breuiter & nudè commemoratis, ſatis (vt ſpero) dignitas ipſius eluceat: ad utilitatem deinceps me conuerto, quæ tam ampla quidem eſt, tam immenſa, vt per omne artium, & diſciplinarum genus manare videatur. Quis enim aut ſacrarum literarum doctorem idoneum agere, ſine antiquitatis & priſcorum temporum notitia poterit? aut quis abſq; morum & inſtitutorum veterum cognitione jura & leges interpretari? quis abſq; inveſtigatione hiſtoriæ naturalis, longaq; vetuſtatis obſervatione, artem medicam rectè facere? quis deniq; Grammaticum, non eximium nunc dico, ſed ſaltem etymologicum profiteri ſe audebit, in ſuperiorum ſeculorum & conſuetudinis ignoratione? Nam cum Grammatici ſive literatoris munus ſit, verborum originem poteſtatemq; eruere: non dubium eſt maximam illorum partem contineri exquiſitione vetuſtatis: quæ fontem aperit, & rivos oſtendit, vnde ſingula ad communem loquendi uſum promanaverint, ſive è religionis & ſacrorum, ſive curiæ, ſive fori, ſive deniq; è caſtrorum deducta ſcaturigine.

Quod vt exemplis in præſentia non accuratè declaretur, quod hujus non fert inſtituti ratio, ſed indicetur ſolummodo: quis Grammaticorum abſq;

 hiſtoriæ

hiſtoriæ adminiculo,explicauerit,qui olim Potitij, qui Flamines,qui Veſtales, qui rex ſacrorum,qui Epulones qui Pontifices fuerint: quæ Romanæ ſunt religionis vocabula? quis Senatores,quis Magiſtratum curulẽ,quis pedariũ, quis Conſules, quis Dictatores, quis Magiſtros equitũ,quis Cenſores,Prætores, Tribunos pl. Ædiles,quæſtores,tùm ærarios tum paricos rectè docuerit,niſi hiſtoricorum libros prius euoluerit? Quis comitiorũ rationem, ſiue curiatorũ, ſive centuriatorum, ſiue deniq; tributorũ,quis judicesrerum privatarum arbitros, quis Centumviros, Decemviros, Duumviros, Recuperatores, Decurias judicum? Quis in re nilitari, quid legio, quid cohors, quid turma, quid tyro, quid veteranus, quid Sacramentum, conjuratio, euocatio, quid item corona triumphalis, obſidionalis,civica,muralis,caſtrenſis,navalis, ovalis,deniq; quid triumphus,quid ovatio, ſignificet,rectè perſpectum habuerit, niſi ex hiſtoricorum fontibus, unde nomenclationes illæ manarunt, notionem ſingulorum hauſerit?

Quod ſi pace veſtra mihi dicere licet,quod res loquitur,ſanè non pauca in vocabulorum indagatione Iuris interpreti cum Grammatico ſunt communia. Quam enim veteres illi Iuriſconſulti, quorum libri cotidie manibus teruntur noſtris,

in

in explicandis legibus, ſenatusconſultis, edictis Prætorum aut ædilium, conſtitutionibus Imperatorum, decretis, Epiſtolis principum, viam ac rationem ſecuti ſunt aliam, niſi Grammaticam hanc potiſſimum patefactionis ſingularum vocum, harumq́ proprietatis? Itaq́ & Gellius commendationi Antiſtij Labeonis Iurisconſulti nobiliſſimi, hunc quaſi colophonem imponit: Latinarum vocum inquiens, origines rationesq́ percalluerat, eaq́ præcipuè ſcientia ad enodandos juris laqueos vtebatur: atq́ idem auctor Alphenum Iurisconſultum Servij Sulpitij diſcipulum, rerumq́ antiquarum non incurioſum notat, quòd in verbis veteribus interpretandis alicubi errauerit.

Verum enimverò non in Grammatica modò hac ſignificationis verborum explanatione, legum doctori opus eſt hiſtoriarum cognitione, ſed etiam ex hac ipſa petenda illi ſunt initia, fontes, cauſæ, occaſiones, & auctores legũ, formæ et conſuetudines iudiciorum, & Rerumpub. ordo & diſcrimina magiſtratuum. Quid enim jus civile, quæſo vos, maximam ſui partem aliud eſt, quàm hiſtoria quædam Reipub. Romanæ, ejusdem legum, conſuetudinis, fori, & judiciorum repetitio?

Hoc ita ſe habere cùm alia oſtendunt, tùm Pandectarum priores libri τὰ πρῶτα dicti, atq́ in his Lex illa nobiliſſima Pomponij de origine Iuris, plurimarum hiſtoriarum quaſi congerie conferta, abundè teſtatur, adeò prorſus, vt in Pandectis nihil aut perparum profeceris in hiſtoriæ ignoratione. Ad Codicis quoq́ lectionem, niſi hanc veluti magiſtram & ducem ſequaris, non ſemel deerrabis, in pluribus hærebis, nusquàm ferè non ſubſiſtendum tibi erit. Nam, ut pauca de infinitis attingam, quis negauerit poſteriores tres libros, ejus eſſe generis, vt & ipſi carere hiſtoria nequeant, & hiſtoricis quaſi facem quandam in multis præferant. Quid ad Titulum de vindicta libertate tollenda & apud conſilium manumiſſione? quid de lege Fuſia Caninia, de libertate dediticia, & Latina, de edicto D. Adriani tollendis, lucis afferes: niſi hiſtoria quaſi lux veritatis ad horum explicationem tibi præiverit? Legem quidem de viceſima hæreditatum cujus in tit: de edict. d. Adria. toll. mentio fit, augendi ærarij gratia, lege Iulia primum irrogatam eſſe extraneis hæredibus nec inopibus, deinde Neruæ, Traiani, Adriani, Marci & aliorum conſtitutionibus vel reciſam vel reductam, ad poſtremum abolitam ex hiſtoricis patet. Quid illa conſtitutio de caducis tollendis, præſertim in ſui principio? Quæ hic ratio aut facultas interpretandi ſuppetet, niſi Hiſto-

Hiſtoricos adeas, Tacitũ in primis? Ex quibus cognoſces Legem Papiam Poppeam de caducis hæreditatibus & legatis, latam fuiſſe ſub Auguſto, itidem augendi ærarij cauſa, exhauſti per bella civilia ſuſcepta inter Pompeium & Cæſarem, itemq; Lepidum & Brutum atq; alios. Ex iiſdem & reliqua ejusdem legis capita commodius percipies & interpretaberis: Illud maximè, quo agitur de maritandis ordinibus, deque cœlibum pœnis. Cum enim numerus civium incredibilis bellis civilibus amiſſus eſſet, adeo ut Papius & Poppeius ipſimet Orbi, Conſules creati fuerint, non inventis patribus aut maritis, qui eis præponerentur: cauſa, inquiunt, extitit ferendæ Legis Papiæ caduciariæ, qua propoſitis pœnis caducitatis incitarentur cives, ut animum ad nuptias contrahendas adjicerent, augerentq; civibus Imperium. 3. Annal. Tacitus all. lo. Dion. 56

Cui veſtrum incognita eſſe poteſt, Auditores benigniſſimi, Conſtitutio Theodoſii & collegarum comprehenſa ſub titulo de pœnis: qua cautum eſt, ſi vindicari Princeps juſſerit in aliquos ſeverius, quam ipſius conſuetudo, pro cauſæ intuitu ferat, ut executio talis ſententiæ vel reſcripti ad 30. dies ſuſpendatur: At originem, cauſam occaſionem, tam clementis conſtitutionis, qua damnatis à Principe commoto ejuſmodi dilatio conceditur ſola aperit hiſtoria. Cum enim L. Si vindicari 20. C. de pœnis.

ut ex hiſtoricis liquet Vdericus præfectus, in Vrbe Theſſalonica per ſeditionem eſſet interfectus, atq; Imperator iratus eô cohortes aliquot miſiſſet, quæ ſeptem millia hominum promiſcue trucidarunt, graviter à S. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi ob hanc injuſtam & modum enormiter excedentem medicinam, non objurgatus ſolum & admonitus fuit, verum etjam permotus, ut legem, quam diximus, promulgaret, ediceretq;, ut poſt reſcripta Imperatoris, differantur ſupplicia capitalia dies 30. ne rei per injuſtam iram, rebus non ſatis inquiſitis, mactarentur. Ac poteſt profecto hujus dilationis mora principis iram mollire atq; temperare: quemadmodum de eodem Imper: ſcribit Aurelius Victor, aliquando ab eo ſevera præcepta, modica dilatione emollita eſſe.

Poſſem id genus alia complura ex Codice, poſſem ex Pandectis, poſſem etiam ex aliis Iuris civilis & Cæſarei voluminibus ad propoſitam ſententiam aſſeverandam proferre. Sed ne in re minimè dubia, neq; patrocinio indigente meo, diutius immorer: mitto jam illa, & de jure pontificio, quod Canonicum vocant, an hoc idem verè pronuntiari poſſit, videamus. Quis enim originem, quis occaſiones promulgati & conſtituti Iuris hujus recte explicauerit unquam, niſi hiſtoriæ & rerum præteritarum cognitione imbutus?

Quæ

Quæ ſola docebit, Pontifices Romanos traductis paulatim ad ſe imperij faſcibus, etiam novis ſubinde ad æmulationē diminutionemq́ Iuris civilis, conſtitutionibus editis, Tyrannidis ſuæ fundamenta jacere & ſtabilire ſtuduiſſe, donec tandem Gregorius nonus, ut Romani Imperij majeſtatem ac legum civilium auctoritatem prorſus eleuaret, Romanamq́ inſuper hierarchiam peculiaribus legibus dilataret ac muniret, decretalium Epiſtolarum ac reſcriptorum Volumen, circiter annum Domini 1231. publicavit. Quam quidem fuiſſe Pontificum mentem & intentionem, vel hoc unū ſatis argumento eſt, quod Honorius III. Papa, ſub excommunicationis pœna probibuit Ius civile Pariſijs inq́ finitimis locis & doceri et diſci, cum unum hoc potiſsimum ſpectare videretur, vt exauctoratis proculcatisq́ Imperatorum legibus, & Regum ſubuerſa maieſtate, Imperium Iusq́ pontificium rerum potiretur paſsim. c. Super ext. de priuileg.

Iam ſi ſingulas conſtitutiones, celebriores præſertim conſideremus, vix unquam earum ſenſum atq́ vim aſſequetur quiſpiam abſq́ hiſtoriæ adminiculo? Nota eſt decretalis ſeu c. novit. 13. ext: de judic. Quid hîc ignarus rerum olim geſtarum afferet interpres de cauſa et occaſione illius, hoc eſt, de diſsidio inter duos Reges, Franciæ nimirū & Angliæ exorto: Cujus ſe ibi judicem jactat & profitetur Papa c. Novit ext: de Iud.

 Inno-

Innocentius III. ex ſervo ſervorum, Dominum ſe faciens dominantium? Quid? nonne obmuteſcet, aut in tenebris, quod ajunt, ſaltabit Lector aggrediens c. Venerabilem de electio: & elec. poteſt: niſi inferatur quaſi lumē hiſtoriæ enarrantis rabiē atq; injuſtas moli tiones Papæ Romani aduerſus Imperatorem, Philippum, Principem ut laudatiſſimum, ſic indignè prorſus ac ſceleratè habitum atque exagitatum & oppugnatum à furijs pontificijs? Infinita id genus occurrunt alia, ſed ut aurium veſtrarum benignitate non abutar, unicum hactenus commemoratis attexam.

c. Venerabilem ext. de electi. & electi po.

Extat in tit. de maior, & obed. decretalis Epiſtola cujus initiū eſt: Solitæ, Hac idem Innocentius ſuperbe admodum reſcribit Imperatori cuidam Conſtantinopolitano, ſe ſupra Cæſares Reges, & Principes terræ attollens. At qua, inquies, occaſione? hanc nimirum tibi exhibet hiſtoria, quæ ſic habet: Commemoratus Papa ad Imperatorem ante ita inſcripſerat, ut cum eo tanquam famulo aut ſeruo plus quàm mediaſtino ageret. Imperator modeſtè reſpondit: Mirari ſe quomodo tàm imperiosè ad ſuperiorem poteſtatem ſcriberet: longè aliter præſcriptum eſſe à Petro, qui jubet omnes ſubjectos eſſe Regi ut ſupereminenti &c. Ibi Pontifex haud diu moratus ad eum modum reſcribit, ut habetur in allegato c.

c. Solitæ ext. de maio. & obed.

Solitæ

Solitæ: Quo loco, magno faſtu & arrogantia inter alia clamitat: quanta eſt inter Solem & Lunam, tantam inter pontifices & Reges differentiam eſſe. Plurium exemplorum commemoratione ſuperſedeo de induſtria: Siquidem ex iſtis, quantumlibet paucis, & breviter nudeq́ expoſitis ſatis jam ſatis conſtare vobis arbitror, quod probare inſtitueram, Iuris Conſulto tàm neceſſariam eſſe hiſtoriam quam diei opus eſt lumine ſolari.

Atq accepimus Virum præſtantiſsimum, multoq & rerum uſu & cognitionis variæ doctrina, & inprimis hiſtoriæ peritia inſtructum atq excellentem, dicere ſolitum, minimè ſibi probari Iurisconſultum, qui non itidem copia valeret prudentiæ politiæ: quæ quin ex hac vitæ & morum magiſtra comparanda ſit, non dubito vos univerſos & ſingulos uno mihi ore teſtimonium perhibituros.

Iam vt de Medicina, quæ Philoſophiæ naturalis propago quædam eſt, nihil addā amplius: cuivis animalium, ſtirpium, herbarum, arborum, fruticum, plantarum, gemmarum, lapidum, uniuerſitatis deniq rerum hiſtoria opus eſſe, neminem fugit. Venio ad Dominam illam & reginam artium Theologiam, quam hiſtoriæ noticia carere poſſe qui affirmauerit, idem quoq non intereſſe ipſius exiſtimauerit habere cognita initia generis humani, non ignorare Eccleſiæ

exordi-

exordium, ſcire religionis ortum, propagationem, depravationem, inſtaurationem: noſſe tempora repetitæ promiſſionis de venturo ſemine, promulgationis legis divinæ, incarnationis filij Dei. Quarum rerum noticia animos confirmat in vera pietate: dumq; initia retroſpiciunt cœleſtis doctrinæ minimè incerta, atq; invectorum in Eccleſiam errorum ac ſtabilitarum ſuperſtitionum rituumq; profanatorum occaſiones, progreſſionem, incrementa, ſucceſſus, ſecum perpendunt; ſimul agnoſcunt Dei præſentiam in gubernatione & conſervatione Eccleſiæ miraculoſa, in defenſione piorum, in oppreſſione graſſantium tyrannorum, & inſidiantium illi hypocritarum: quorum fraudes immanitate tyrannica ſæpenumero ſæviores ſunt, ac plus detrimenti dant ſaluti & incolumitati Eccleſiæ.

Sed de his plura commemorare, vt æquanimitas veſtra non iniquè tulerit, non ſinit temporis anguſtia, cujus ſibi partem vendicant nonnullam ij, quorum cauſa hic inſtitutus eſt conventus & actus præſentis ſolennitas. Propero igitur ad artes minores, ut vulgus Doctorum autumat, eruditorũ autem judicio cæterarum principes.

Atque ut de poëtica primùm aliquid verborum faciam, & hujus ſorore arte dicendi; quis non animaduertit, minorem eſſe poëtarum gloriam, frigere laudem oratoriam, abſq; hiſtoriæ ipſius adjumentis & ornamentis?

Nam

Nam quod ad Poëtas attinet, manifeſtum eſt omne illorum artificium in eo verſari, vt fabulis fictis veritatem imitentur: quod adeò in confeſſo eſt, vt fabula ipſa de principis Philoſophorũ Ariſtotelis ſuffragatione, poëticæ quaſi anima perhibeatur. Itaq; & eorum, qui ex Poëtis Epici nominantur, in quorũ ordine apud Græcos Homerus, apud Latinos Maro familiam ducit: horum igitur argumentum, quid aliud eſt, quàm perpetua quædam hiſtoriæ coagmentatio ac ſeries? in illius quidem Iliade & Odyſſea belli Troiani atq; errorum Vlyſſis: in huius verò Æneide rerum ab Ænea terra mariq; geſtarũ expoſitio? Quare cum etiã hiſtoricus et Pöeta vterq; proponat, vterq; narret mores, & caſus hominũ varios, ac perturbationes animorũ exprimat, vterq; prælia & res geſtas memoret atq; ante oculos ponat: hoc inter ambos videtur diſcriminis, quòd ille vera, hic veriſimilia narrãdo perſequitur non ſine imitatione, hoc eſt, veriſimilium fictione, quæ pöetarum propria eſt. Quod ita ſe habere, cùm plurimis pöetarum exemplis demonſtrari poteſt, tũ pro multis alijs ſatis eſſe poterit vel vna geſtorũ Pop. Rom. in 6. Æneidos narratio. Quæ .n. iſtic Anchiſes à Poëta fingitur Æneæ filio narrare apud inferos, de orituris ex ſtirpe ipſius Syluio Ænea, Capy, Proca, Numitore, Romulo, Remo, Iulio deniq; Cæſare et Auguſto, deq; Roma ipſa à Troianorũ nepotibꝰ cõdẽda, ánnõ ex hiſtoria

Roma-

Romana deprompta ſunt, ſed à Poëta non hiſtorico filo, ſed poëtico detexta? Poſſem idem planum facere de Lyricis poetis, poſſem de tragicis, poſſem de Comicis, itemq́ Dithyrambicis: ſed quorſum opus eſt (quod dicitur) ſoli lumen inferre? Cum autem his omnibus hic finis propoſitus ſit, expoſitis virorum excellentium caſibus delinire animos legentium, & voluptate quadam perfundere, maximam illi quidem delectandi occaſionem ab hiſtoria, ex qua fabulas ſuas contexuerunt, mutuati fuêre. Hæc enim temporum varietates, hæc fortunæ viciſsitudines, hæc exitus mirabiles ſuppeditat, quibus quid hominum auribus, aut mentibus jucundius afferri poteſt? Tempus me deficeret, ſi fabularum exempla, quas ex hiſtorijs natas eſſe conſtat, perſequi inciperem.

His igitur omiſsis brevitatis ſtudio quam mihi, ne orationis prolixitate moleſtiam vobis crearem, ab initiò ſtatim propoſui, venio deinceps ad oratoriam. Iam cum oratoris munus ſit, in foro cauſisq́ civilibus ita dicere, ut non modó probet, ſed etiam delectet, atq́ permoueat: quorum primum neceſsitatis eſt, alterum ſuavitatis, tertium victoriæ: quid, Deum immortalem, vel ad fidem faciendam aptius, vel ad conciliandos hominum animos, & ad captandas eorum voluntates accommodatius inueniri poteſt commemoratione an-

tae antiquitatis exemplorumq; ad cauſam, quam agendam ſuſceperis, appoſitorum prolatione? Sicut enim imperitæ multitudini, cujus non rarò auribus & judicio magis, quàm veritati & rationi inſerviendum eſt oratori, id, quod exemplo fit, etiam jure fieri putatur: ita quæ ex veteri memoria & monumentis ac literis, quaſi penu quodam vetuſtatis, plena dignitatis, plena antiquitatis depromuntur exempla: incredibile eſt quantum non ſolum apud vulgus imperitum, ſed etiam apud viros omni liberali doctrina politos, momenti afferant ad aſſentiendum, quantum jucunditatis ad audiendum, quantum deniq; ad concitandos animos efficacitatis.

Non debeo in re manifeſta teſtimonijs uti & auctoritate, neque tamen ingratam vobis futuram arbitror Ciceronis in perfecti oratoris efformatione, de hac quæſtione ſententiam & judicium. Quid autem de hoc ille? Cognoſcat (inquit) rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, maximè ſcilicet noſtræ civitatis, ſed & imperioſorum populorum & regum illuſtrium. At quorſum illa roget aliquis?

Quia neſcire, quid antea quàm natus ſis acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorumq; prolatio ſumma cum

delectatione & auctoritatem orationi affert & fidem.

Quis igitur prolato tanti oratoris teſtimonio dubitet amplius, eum, qui dicendi magiſter ac orator eximius perhiberi velit, hiſtoriæ non ignarum eſſe, neq; ſolùm eius, in qua verſetur, ciuitatis, ſed vniuerſæ quoq; antiquitatis inſtituta tenere oportere?

Animaduertitis, vt ſpero, Auditores, quantæ mihi res, propter iniqua temporis ſpacia, in anguſtum contrahendæ ſint: quarum amplitudinem, ſi cum orationis modo adæquare inſtituerem, non horæ vnius, ſed ne diei quidem interuallum mihi ſatisfecerit. Itaq; vt vtilitatum harum immenſitatem in arctiora conferam: progredior tandem ad philoſophiam, cuius appellatione, omnem optimarum rerum cognitionem atq; in ijs exercitationem indicari, nemini veſtrum ignotum eſſe mihi perſuadeo. Cum autem ſecundum Peripateticos, in duas illa quidem partes ſit diſtributa, in naturæ videlicet obſcuritatem, & in vitam atq; mores: earum ſingulas plurimùm ab hiſtoria adiuuari; præcipuè vero eam, quæ vitam & mores informat, deinceps demonſtrabimus. Qui ſunt enim, qui rerum admirabilium, quas in cœlo et terra gigni conſpicimus, narrationem proſequuntur? Hiſtorici.

Qui

Qui plantarum poteſtates, qui animantium naturam, qui gemmarum vires exponunt? hiſtorici. Qui virtutum pulcritudinem, qui vitiorum deformitatem nobis ante oculos ponunt? hiſtorici? Ab hiſtoricis omnis doctrina liberalis, ab hiſtoricis vitæ informandæ præcepta, ab hiſtoricis Reipub. gubernandæ normæ ac regulæ ſumi poſſunt: hi, quæ adoleſcentum, quæ iuuentutis, quæ ſenum officia ſint, exemplis edocent: hi, quid domi, quid militiæ præſtari conueniat, quid priuatos, quid eos qui cum imperio ſunt, exequi oporteat, in communis vitæ quaſi theatro ſubijciunt. Atq; hæc capita duntaxat ſunt rerum maximarum, de quibus ſingulis, ſi exponendũ eſſet, quod in promptu eſt, quantus mihi rurſus ad dicendum campus aperiretur? Quis autem aut iudicandi de rebus ſolertia, aut conſiliorum prudentia, aut rei militaris ſcientia excelluit, qui non prius in hiſtoricorum libris verſatus atq; nonnihil exercitatus eſſet? Memorabile eſt quod eloquentiæ magiſter Iſocrates de conſultandi ratione præcipit: In conſilijs (inquiens) capiendis compara futura cum præteritis: incerta enim ad certorum exemplum rectiſſimè conſtituuntur. Sed vnde, quæro ex vobis, præterita illa rectius, quàm ex hiſtoriarum lectione depromuntur?

Titum Manlium Torquatum accepimus, cum Conſul declaratus eſſet, propter oculorũ valetudinem, imperij gubernacula recuſaſſe, quòd abſurdũ duceret, civium ſalutẽ ac fortunas ei committi, cui alienis oculis in Reipublicæ adminiſtratione utendum eſſet. Atqui ille oculis æger, mentis acie pollebat, conſilioq́ valebat & prudentia.

Quanto autem ad Rempub. ineptiores exiſtimandi ſunt ij, qui hiſtoriæ luce, quæ eadem lux veritatis eſt, teſte Cicerone, deſtituti, in rebus graviſſimis allucinantur, alienisq́ oculis, alieno ingenio, alieno deniq́ conſilio omnia gerere neceſſe habent? Quid illos præclari efficere, quid ſuſcipere, quid cogitare putandũ eſt? Siquidem hæc prudentiã uſu rerum et experientia auget, hæc fortitudinis, hæc juſtitiæ, hæc liberalitatis, hæc temperantiæ, cæterarumq́ virtutũ vim atq́ naturam vel ipſis Philoſophis, qui illarum officia profitentur, clarius patefacit, atq́ illuſtrat. Nec vero magiſtra illa vitæ, quam Romanorum eloquentiſſimus ita nuncupauit, quicquam eſt aliud, quàm virtutum vitiorumq́ diligens et accurata diſciplina: hoc ſolo differens ab ea ſcientia, quæ et ipſa ſeſe magiſtram morũ & diſciplinæ, ac virtutis indagatricem, vitiorumq́ expultricem venditat, ab illa, inquam, hoc duntaxat differens, quod ipſa theoremata univerſalia perſequitur, hæc exempla ſingularia proponit: quibus Philoſopho-

ſophorum præcepta magis illuſtrari, & animi ad virtutis actiones tanto efficacius inflammari ſolent, quanto ſenſus rationem, cum evidentia, tùm oculari certitudine, ſuperare exiſtimantur. Et eſt enim hæc docendi via, qua à ſingulis ad univerſa aſcendimus, etiam de Philoſophorum judicio intelligentiæ noſtræ planior et apertior illa altera, qua ab univerſis ad ſingula delabimur. Itaq; rectè Seneca, Longũ, inquit, iter eſt per præcepta, breve et efficax per exempla, plus ex moribus quàm ex verbis trahimus. Et Cicero in diſputatione de bono & honeſto, ſecundum Stoicorũ opinionem, ea quæ ſine appoſitione exemplorum obſcuriora videntur, lentiusq; diſputantur, vita atq; factis illuſtranda eſſe ſummorum virorum, cenſet. Quod & ipſe in diſputatione illa accurata de Stoicorum admirabilibus præclarè fecit, & magno cum legentium fructu præſtitit, in libris nunquam ſatis laudatis, quos de officijs inſcripſit, & Ariſtoteles quoq; idem in morali Philoſophia non penitus neglexit. Nihil derogo Philoſophis: neq; enim debeo: Et tamen quod illi de prudentia in Repub. gerenda tradunt, minus videtur efficax, quàm ſi exemplum proponas Scipionis Africani, quem dicere ſolitum accepimus: Turpe eſſe in re militari dicere, Non putaram.

Quid dicam de Fabio? quem ~~hiſtoriæ~~ memorant Annibalem juveniliter exultantem prudentia

mora & cunctatione ſua fregiſſe: quapropter de ipſo Ennius hoc ad omnem poſteritatem commemorabile prædicavit:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rē:
Non ponebat enim rumores ante ſalutē.

An non L. Luculli & Cn. Pompeij digna memoratu eſt prudentia, qua Mithridatem & Tigranem, duos Aſiæ reges potentiſſimos ac populo Romano infeſtiſſimos profligarunt. Horum igitur exempla, quæ hiſtoriarum conſervarunt monumenta, an non Philoſophorum de hac ipſa virtute præceptis ad permovendos animos ſunt efficaciora? Quod ſi ad fortitudinem cohortari libeat, an hoc euidentius feceris Philoſophorum ſcholis, quàm commemoratione rerum magno & excelſo animo geſtarum apud Marathonem, Salamina, Platæas, Thermopylas, nec non exemplis virorum fortiſſimorum, Coclitis, Deciorum, Camilli, Marcelli aliarumq́ innumerabilium, quorum mentionem ſuppeditant hiſtoriæ?

Poſſem hoc idem affirmare de temperantiæ, de juſtitiæ, aliarumq́ virtutum exemplis, quibus hiſtoricorum libri ſunt referti: Sed quid opus eſt longius in re omnium intelligentiæ expoſita immorari? Neq enim ſuſpicor quenquam ex hac literatiſſimæ juventutis corona à me efflagitare, ut oſtendam prolixius, quod nemini ignotum eſt, vitæ hominum magiſtram

eſſe

eſſe hiſtoriam: non quidem rerum faciendarum documentis: ſed honeſtatis atq; officiorum exemplis, quæ cum ab oblivione vindicet, iccirco non inepte eadem vita memoriæ nuncupata eſt. Illis igitur ipſa ingenium inſtruit, proponendo varia conſilia, actiones diverſas, eventus mirabiles, informat mores docendo pravas libidines eſſe moderandas, propter pœnas atroces, fugiendam ſtultam temeritatem, propter caſus incertos: coërcendos exultantes impetus, propter fortunam commutabilem. Quid? quòd in animis noſtris confirmat opiniones honeſtas, de omni virtutum genere, earumq; diligenti tractatione ac uſu? Quid? quod vitiorum euellit ſegetem, in ocio & diuitijs luxuriaq; & avaritia naſcentium? Quid multis opus eſt, hæc nimirum efficit, ut aliquando hominibus adultis ac ſenibus prudentiæ copia antecellat adoleſcens aliquis: ac vir prudens & peritus vtilior ſit Reipub. ac patriæ, ipſis etiã Principibus ac Monarchis. Quocirca non inepte vir quidam noſtri ævi doctiſsimus: hiſtoriam rerum gerendarum quaſi animam eſſe, dixerit. Sed finis tandem faciendus eſt commemorationis harum vtilitatum, neq; abutendum diutius æquanimitate ac patientia veſtra in me audiendo ſatis jam ſatis ſpectata.

Itaq; in ijs, quæ reſtant deinceps de jucunditate hujus ſtudij perorandа, paucis me expediam.

Quid eſt autem iucundum, niſi quod juvat in animo & corpore? Quod cum ita ſit, quæ de vtilitate attigimus, quin eadem jucunditati ſervire poßint, quis non intelligit? Veruntamen eſt & aliud quoddam iucunditatis genus, non multùm ab hoc dißimile, quod ſecundum Philoſophum propriè voluptatis efficiens eſt, id eſt, ſuauis cuiuſdam ſive affectiònis, ſiue motus animi, quo ille hilaratur, tanquam re quadam, quæ ſecundum naturam ipſius eſt maximè. Ex horum numero, cum ea ſint, quorum cupiditate tenemur, quæ quidem nihil aliud eſt, quam rei iucundæ appetitus: quæ obſecro maior eſſe poteſt, quàm ſcientiæ & cognitionis delectatio, qua nihil eſt jucundius? Itaq; & aniles fabulas, quarum nulla eſt vtilitas, vel ſaltem exigua, nonnulli tamen cupiditate hac inuitati, incredibili cum voluptate amplectuntur, adeò prorſus, vt ſæpenumerò cibi & potus & ſomni, rerumq; cæterarum obliuiſcantur, dulcedine ipſarum quaſi ineſcati. Hoc cum rebus fabuloſis vſu veniat, quantò maiorem oblectationem nos percepturos, exiſtimandum eſt, ex eorum, quæ reuera geſta ſunt, expoſitione? quorum quidem narratio multis iucunditatem quaſi diuerticulis referta, cupiditatem veri audiendi & legendi in animo ingenerat inſatiabilem, neq; cum vllo voluptatum genere comparandam. Et eſt enim veritatem ipſam cognoſcere tàm amabile, tàm deſiderabile quàm

ſpirare

ſpirare, quàm debere vitam ſcientiæ. Itaq; & eos, quibus vel infimæ fortunæ conditio, vel valetudinis infirmitas, vel ſenectutis imbecillitas, omnem ſpem rerum gerendarum præcidit, opifices deniq; ipſos, rerum geſtarum narratione delectari videmus, nominaq; eorum, qui pro aris & focis rem fortiter geſſerunt, curioſè exquirere, parentes, patriam, multa præterea non neceſſaria ſciſcitari.

Quæ poteſt autem eſſe maior liberali ingenio, atq; homini politico voluptatis illecebra, quæ honeſtior animi remiſſio, quàm in hac teſte temporum, nuncia vetuſtatis, veluti in theatro orbis terrarum, non vnius hominis, aut ætatis, ſed totius generis humani ortum ac propagationem contemplari, atq; omnium ſeculorum memoriam, vno quaſi intuitu relegere? atq; animo complecti tot Monarchiarum ſeriem, tot Rerumpub. conuerſiones, tàm mirabiles ſummorum virorum caſus, & optimè cogitatorum non pares exitus, tot bella, tot clades, tantas temporum varietates, tantas fortunæ commutationes, toties labefactatam domi foriſq; Rempub. vnam, terrarum omnium Dominam, toties inſtauratam, cogitatione atq; memoria comprehendere? Quarum quidem rerum contemplatio, non modò ad omnem vitam conformandam, & ad auertendas atrocium pœnarum, & horribilium mutationum cauſas, documenta ſuppeditat ſalutaria: ſed etiam ad-

jam aduerſus Epicureorum deliria ac furores fanaticos, teſtimonia perhibet vel mille teſtium fide & religione locupletiora, ſapientiæ, inquam, omnipotentiæ, prouidentiæ, bonitatis, ſeueritatis, & iuſtitiæ diuinæ. De quibus ſcilicet in præſentia plus verborum fieri non eſt neceſſe, neq; par eſt, modum benignitatis veſtræ, & attentionis ex argumenti huius copia ſtatui atq; curſu orationis, quam veſtra etiam prouexit beneuolentia, proceſſit iampridem narratio hæc mea opinione longius.

Quamobrem jam nunc urgente me temporis elapſi interpellatione, & ſacietatis quoq; veſtræ reuerentia me reprimente, diſputationem hanc abrumpens, etiam atq; etiam hortor, atq; obteſtor adoleſcentes optimarum artium & diſciplinarum ſtudioſos, quorum potiſſimum cauſa hic à me inſtitutus eſt ſermo, & ad quorum vtilitatem omnes ſtudiorum noſtrorum conatus, vigilias, curas, labores referri par eſt: vt huius tam præclaræ artis dignitatem, vtilitatem, ac iucunditatem animo metientes, ad eius in præceptorum ſuorum doctrina tractationem & cognitionem ea ſecum domo afferant, quæ ad laudabilem progreſſionem in quouis diſciplinarum genere requiri, non ignorant: ardorem, inquam, amoris, & diligentiæ conſtantiam.

Quod cum facturum unumquemq; veſtrum mihi pollicear; tùm auget hanc animi mei de univer-

ſis,

ſis & ſingulis inductionem ac fiduciam, cùm frequentiſſimus hic conventus veſter, tùm quod à vobis ſum tàm benignè & diligenter auditus. Ego quidem veſtram hanc in me auſcultando benignitatem quum grato animo amplectar, aliter facere nec debeo, nec poſſum. Ea ſi mihi quod ſpero, deinceps quoq; frui conceditur, calcar mihi addetur & ſtimulus, ut quò minus ingenio et doctrina me valere ſentio, tanto majori ſtudio, cura, atq; opera annitar, atq; contendam ad ſatisfaciendum expectationi veſtræ, ac de ſtudijs literatæ juventutis, & inprimis legum ſtudioſæ, optime merendum.

D I X I.

QVÆSTIO PRO- POSITA A PETRO VVESENBECIO, DOCTORIS Petri VVeſenbecij filio.

SI quisquam adeſt, mirum cui videtur hoc,
Partes dari puero mihi, quæ ſunt ſenis:
Is mente, quæſo, paululum recolligat
Academiarum jura, conſuetudinem
Loci, & repentè deſinet mirarier.
Quis neſcit in congreſſibus clariſſima
Pueros corona ſæpius ſolitos loqui?
Tum, ſi quis eſt, qui dicat inſolentius
Me facere in hoc, tacētibus quòd plurimis
Ætate paribus, ingenij quibus indole
Cedo lubens, ſolus tamen de plurimis
Has didicerim partes: velim is, fieri id, ſci-
Arbitrio mandantium, valere quod (at
Plus hic decet, quàm turpiter reſiſtere
Cui liceat, ac non obſequi potius libeat.

Hi

Hi quæſtionis involucra promere
Voluère me, de more, ſed te judicem.
PERSON, volunt, clariſſime, & Doctor recens
Create, quam timido modò ore proferam
Vbi hanc virûm ac juvenum coronam ſplendidam,
Animis adeſſe æquis velint, oravero.
Spacioq; temporis brevi, meam ferant
Balbutientem infantiam, exoravero.

QVæſtionem autem hanc in medium adfero: Num marito, cui à patre puellæ dos intra annum & diem poſt contractus nuptias promiſſa eſt, mortua intra hoc tempus uxore, actio ad conſequendam dotem adverſus patrem competat: quando vel pacto de lucranda dote ſibi cavit, vel ſtatutum aut conſuetudo introduxit, ut poſt mortem mulieris, dos lucro mariti cedat? Difficultate res non caret; videre enim fortaſſe licet, qui marito petitionem denegandam putent, ex eo quod intelligunt: Marito aut ſuo nomine actionem concedendam eſſe, aut uxoris præmortuæ nomine: alterutrum eorum niſi adfuerit, nihil aliud concludendum,

quàm ut maritò viam omnem præcluſam dicamus. Atqui eundem poſt mortem uxoris in exigenda dote ſuo nomine nihil juris habere, tàm in aperto eſſe dicũt, ut & conceſſum ab omnibus & receptum affirment: Uxoris autem nomine, quis actionem marito tribuet? Nam etſi dies ſolvendæ dotis vivente uxore ceſſerit, exigendæ tamen ejuſdem nondum veniſſe compertum eſt: unde jus, quod mulier ipſa in dote nondũ obtinuit, cujusq́ effectus ob diei adjectionem in pendenti fuit, numquid illud ad maritũ transferri potuiſſe dicemus? Conſonat hiſce, quod omnibus notum eſt, mulieri etjam num viventi, nullam adverſus patrem conſtante matrimonio actionem dotis competere: tùm quòd ratio officij in ea, quæ jam nuptui elocata eſt, ceſſet: tùm quod dotis conſtituendæ cauſa, minus hic locum habere poſſit: quæ quia alimentorum loco exhiberi à patre ſolet, de ijs jam laborandum non eſt, cum ad alimenta mulieri præſtanda, maritũ cogi poſſe, ex ſententia Bartoli & aliorum receptum ſit. Quæ ratio, etſi tum procedat, quando de dote numeranda, neq́ pacto neq́ ſtipulatione quicquam conventum fuit: quin idem tamen juris obtineat, quoties certa promiſſione dotis conſtitutio vallata eſt, dubitari non debet. Nam ſiquidem mulier ipſa à patre dotem ſtipulata ſit, nulla inter hos obligatio aut actio efficax enaſci potuit: quippe quod inter patrem & filiam,

vincu-

vinculum, quod exactionem producat, oriri non poſſe conſtet: Sin verò maritus nomine uxoris patrem ſibi obligaverit: tantum abeſt, vt ad vxorem ex ea promiſſione tranſire aliquid debeat, ut ne obligatio quidem eidem acquiratur: Secundum regulam, qua traditur: ex contractu unius alteri quæri obligationem minimè poſſe: idq́ in noſtro caſu magis dicendum eſt, ubi marito de dote exolvenda facta eſt promiſſio, atq́ inter hunc duntaxat & patrem pactū tale fuit celebratum. Ex quibus manifeſtè colligitur, maritum neq́ vivente muliere dotē petere potuiſſe, utpote nondū exiſtente die, in quem promiſſa fuit: neq́ ea mortua, quæ cum obligationem nondum adepta fuerit, neq́ maritus eandem ſucceſſionis jure vendicare ſibi poterit.

Ex diverſo, qui facultatem marito eam adſcribunt, ut poſt mortem uxoris dotem à patre promiſſam exigere poſſit, non minoribus certè fundamentis nitūtur.

Quod enim, inquiunt, in diem promittitur, etſi ante diem peti non poſſit, debetur tamen, & quidem ſtatim ex quo obligatio contracta. Et rectè omninò Patruus meus magnus laudatæ ac felicis memoriæ viſus eſt tradidiſſe, obligationem ita in diem conceptam, idcirco tempore ſuſpendi non poſſe, quod illa non factum, uti ſolutio, ſed jus contineat: eoq́ ex voluntate et ſententia contrahentium nec debitum impediat, differendo ſaltem ejuſdem ad tempus præſtationem.

 Ad

Ad quam concluſionem, ſi quæ de hac quæſtione tradi poſſunt, revocaverimus, nihil relinquitur aliud, niſi ut obligationem hanc morte uxoris in maritum translatã affirmemus, eumq́ non jam uxoris nomine, ſed proprio & ſucceſſionis jure ad actionem adverſus patrem inſtituendam admitti debere. Quod confirmat Vlp. ſtatuens, dotem conſtante matrimonio proprium mulieris patrimonium eſſe: ut rectè ſoluto eo, ad exemplum aliarum rerum, quæ per ſucceſſionem transferuntur, dotem quoq ad ſuum ſucceſſorem uxor tranſmittat: quem cum hîc præter maritum ob pactionem initam, aut ſtatuti vim, nullum habeat, evincitur planè ſuo ipſum jure privari neutiquam poſſe. Ex quo etiam perſpicuum fit, cur Paulus voluerit, tunc quando curator adultæ nomine dotem ſe marito daturum pollicitus eſt, & poſteà ære alieno emergente apparet, eum ſupra vires patrimonij dotem promiſiſſe: curatorem non tãntum de ſuo exolvere dotem teneri, ſed etiam ſi donandi non negotij gerendi cauſa dotem pactus ſit, nihil ab adulta repetere poſſe. Nempè quia non traditione tantum, uti Iuliano placuit, dos conſtituitur, ſed etiam ſecundum Imp. Theod. & Valent. pollicitatione nudisq́ pactis. Quibus ſic breviter delibatis, haud difficulter apparet, non leves in propoſita quæſtione ſubeſſe rationes, quæ permovere judicem poſſent, ut mariti in exigenda dote potiorem

l. 3. §. ergo 5. ff. de minor.

l. Cum poſt. 43. §. 1. ff. de adm. & peric. tut.

l. quemadmodũ 46. ff. de jur. dot. l. ad exactionem 5. C. de dot. promiſs.

cauſam

cauſam eſſe ſtatueret: non minores, quæ calculum ferendæ ſententiæ pro eadem retinenda patri deferrent.

QVis Sphingis iſtud, æmulus,
Ænigma ſolvet, Oedipi?
Num Deum mihi quem cominus
Ex machina excitavero,
Mali Poëtæ quod ſolent,
Perplexa qui mihi explicet?
Sane hoc videtur optimum,
Impedire ſe quando potuit,
Nequit expedire vinculis.
Ætatis imbecillitas
Exiguitas & ingenij.
Ergo rogatum te volo
Doctor nove, & clariſſime,
Mihi ſubvenire ne renuas,
Prudentia & dijudices
Tua, meam quæ infantiam
Superant. Aget tibi gratias
Tota hæc corona maximas,
Satisq́ fiet optimis
Academiæ hujus moribus,
Nomen tuumq́ plurimis
Clareſcet inde laudibus.

Reſponſio,

IOANNIS PERSON I. V. DOCTORIS REnunciati.

VEre non minus quàm eleganter, princeps elogij Romani M. Tullius teſtatur, Iuris civilis ſcientia, nihil unquam boni optabilius nihil præſtantius mortalium generi, Dei munere vel datum eſſe, vel dari potuiſſe. Etenim cum in vera & recta dijudicandi ratione, mens hominis adeò ſibi nō conſtet, ut aut errore aut cupiditate abrepta, facilè in quamvis formam vertumni ac Protheos more variari: queat nulla major certitudo, nulla firmior in diſceptandis controverſijs dexteritas eſſe poteſt, quam ſi infirmum iudicium peritia legum excipiat, affectibus frenum inyciat, mentem & rationem actionis cujusq́ demonſtret. Non ſolum enim ad rerum & negotiorum cognitionem plurimum adjumēti adfert civilis virtus, ut quæ ex varijs huic inde diſceptationibus, quid verius maximè ſit, ex multis colligit & perpendit: ſed etiam hoc inſigne, hoc præcipuum, ſi iuſto fine diſcitur, habet, quod ſit conſilium civitatis, fundamentum libertatis, & fons ex quo omnis juſtitiæ æquitatisq́ ſplendor promanat. Ac tantum ferè rebus noſtris communiq́ Reipubl. conſultum videmus, quantum Iuriſprudentia nobis ſubminiſtrat: Vt non immeritò Plato regiam diſciplinam eandem nominet, quod ad reges & principes ea pertineat, quodq́ ſingulorū utilitatibus non poſſit

poſſit conſulere is, niſi qui majorum leges & mores atque inſtituta ejus civitatis, in qua verſatur, cognoverit. Et neceſſitas igitur publicæ ſalutis iſta poſtulat, & ſingulorum ſuadet evidens utilitas, ut ſcientiam hanc divinarum humanarumq; rerum, maximæ frugis, maximæq; laudis eſſe contendamus: agnoſcentes non tantum, eam ſingulare inventum ac donum Dei eſſe ſecundum Demoſthenem, ſed illud inprimis magna cura efficientes, ut quæ contraria & repugnantia in ea appareant, excuſſa ſpica, ita ad medullam rediigamus, quo conſonantia propemodum omnia & ſuaviſſimè amica eſſe comprobentur. Quod etſi de legibus Romanis affirmare abſurdum non ſit, approbante Imperat. ipſo, qui nullam in ijs tantam contrarietatem inveniri aſſerit, quæ non optima ratione conciliari poſſit & complacari: de Scriptorum tamen opinionibus et Dd. commentis aliter ſtatuendum eſſe, omnes vel mediocriter in ijs verſati fatentur, in quibus uti immixta veris paſſim non vera reperiuntur, ita harmoniam quandam in ijs attentare, non tàm poſſibile, quàm laborioſum exiſtimo.

Quæ tamen res, partim ex quodam naturæ nixu, omnes ad diſſentiendum facilè impellentis, enata: partim ingenij eminentia & fiducia doctrinæ firmata, eò proceſſit, ut ſicuti in alijs diſciplinis, ſic in legali Philoſophia, nulla ferè aſſertio, etiam iniqua & abſurda inveniatur, in qua non diverſi ſemper autores extiterint, ita ut quilibet ſuos obtinuerit aſſeclas, & qualibet ſententia

 ſuum

ſuum patronum. Quo minus itaq; mirum alicui videri debet, ſi de quæſtione hac, iam in medium propoſita, non ſcribentium modo, tàm veterum, quàm recentiorum varia extiterint iudicia, ſed diuerſæ etiam in hiſce & vicinis regionibus formæ, diuerſæq; ſententiæ fuerint enatæ: de quarum veritate, vt meum nunc iudicium ſanè perexiguum interponam: illud vero eſt, quod in præſentia graue mihi eſſe & perdifficile agnoſco. Mouet enim me, imo perturbat non parum, rei quæ tractanda eſt, amplitudo, & in controuerſijs decidendis difficultas. Nam ſi Seruius Sulpitius, tanti vir iudicij, qui de gloria eruditionis, de faſtigio eminentiæ cum Cicerone certabat, ita in rebus intelligendis anceps fuit, vt Q. Mutium ſemel & iterum de iure reſpondentem non intellexerit: nemo certè huius ſcientiæ ſublimitatem aſſequi, nemo certum in ea iudicium ferre poterit, niſi multa ætate, niſi iugi ſtudio hujus doctrinam accuratè perceperit: quæ quàm aliena à me ſint, ipſe intelligo. Sed cum laudabilis hæc conſuetudo, & mos in renunciationibus graduum publicis receptus faciant, quo minus petitioni tuæ, Chariſſ. puer, denegari quicquam debeam: libenter ad quæſtionem tuam accedo, & vtra tuarum opinionum, in cauſæ huius deciſione amplectenda ſit, habita & virium mearum & temporis ratione inquiram. Quod priuſquam faciam, Magnifice Dn. Rector. Illuſtres & generoſi Domini Comites, Domini benigniſſimi, Nobiliſſ. Reuerendi & Ampliſſ. viri, Academici Clariſſ. tuq; Corona doctiſſ. vos omnes, ea qua par eſt ſubmiſſione

& re-

& reuerentia oro atq; obteſtor, vt meam hanc in dicendo mediocritatem, in diiudicando tenuitatem & inopiam, ſtudio, alacritate beneuolentiaq; veſtra adiuuetis: quas ego res ſi mihi non deeſſe ſenſero, tum me oneris huius magnitudine opprimi minimè patiar, verum contentis animi viribus illud quoad potero feram, efficiamq; diuina fretus ope, vt non tàm ornatum quàm ſimplicitatem, non fucum, ſed veritatem me quæſiuiſſe comperiatis.

Veruntamen, quia & Philoſophi ſententia & ICtorum præceptis monemur, nihil dici oportere, niſi quid illud ſit intellexerimus: operæ pretium eſſe ſentio, ante percontari, in quo vis propoſitæ quæſtionis conſiſtat, quam hanc eſſe percepi: An marito, qui contractis nuptijs dotem à patre ſponſæ intra annum & diem dari ſibi ſtipulatus eſt, mortua intra hoc tempus vxore, competat ex tali promiſsione petitio vel exactio: et quod conſequens eſt, nunquid mariti potior in dote petenda, quàm patris in ea reſeruanda, debeat eſſe conditio? De hac quid dicam eiuſmodi, vt veritatem, quam vnã in dubijs elicere debemus, demonſtrem: aut vtilitatem, quam ſummam in ea eſſe cernitis, vobis commendem. Res ſic eſt, vt niſi cauſæ huius rationes & rerum momenta, velut ob oculos nobis poſuerimus, perfectum de ea iudicium concipere, & quid in tanta varietate ſequendum potiſsimum ſit, eligere minimè poſſimus: per argumenta namq; & exempla res fit clarior, iiſq; adductis, tot oculis ſpectata veritas, tot inſinuata mentibus latere non poteſt, vt Imper. noſter egregiè teſtatum reliquit. Qua in re illud

initio

initio præcauendum, quæſtionem hanc, non ſecundum communes iuris ciuilis regulas, quæ maritum ſoluto matrimonio dotis lucro in totum ſpoliant, perpendendam eſſe, ſed quatenus vel ex pacto, quod ſæpè fit, vel ex ſtatutis, prout in his terris, vel conſuetudine, quam in nonnullis Ducatib. receptam ſcimus, dotis præſertim rei mobilis retentionem, marito conceſſam eſſe demonſtrari poteſt. Ad quæ ſi controuerſiam hanc totam ponderare, in eaq; recta & vera ſpecioſis et fucatis anteponere voluerimus: conſtabit vt opinor, maritum dotis debitæ exactionē tunc, quando mulier in fata conceſſit, inſtituere jure poſſe. Idq; vt eò melius indicio et mente complecti poſſimus, primò nobis in conſpectu ſit, quod ſiquidem ex pacto in diem promiſſo nullā marito dotis nomine actionē concederemus: idem & tunc, vbi dos ſine die promiſſa eſt, tenendum eſſet, atq; inde maritum neq; dotem ſimpliciter promiſſam lucrari ſtatuendum. Cuius contrarium cum abſq; difficultate receptū hactenus ſit, vtiq; quia ex pactis dotalibus mulieri actio quæritur, eiq; dos verè debetur: nec iniuria quis dixerit, & eo caſu, quando obligationi acceſſit dies, ius quod vxori competebat, in maritū iam translatū eſſe. Neq; enim diuerſitatis ratio aſsignari vlla poteſt. Nam in vtraq; obligatione ceſsiſſe diem fatendum eſt:[a] ſic vt & in ſtipulatione in diem concepta, obligatio & actio ſtatim naſcatur, licet effectus petitionis & exactio in aliquod tempus transferatur. Vnde licet Vlp.[b] Clariſs. poſt Papinianum Iuris & æquitatis Conſultus affirmet, diem adiectum hoc efficere, ne præſenti die pecunia debeatur: ex quo

[a] l. cedere diem. 212 de V. S. l. obligationum fere: §. 1. de oblig. & act.

[b] l. eū qui. 41. §. 1. de V. O.

ex quo hoc quidam colligunt, ut quod in diem promiſſum eſt, non tam peti, ſed nec deberi quidem poſſit: rectè tamen Idem debendi verbo, quod & ſequentia innuunt, vim & effectum obligationis deſignat, ut peti quidem non poſſit, debeatur autem non minus, ac ſi diei expreſſio facta nunquam fuiſſet. Et quid mirum actionem ex hujusmodi promiſſione enaſci ſtatim & revera. Nunquid enim obligationis ſubſtantia temporis adjectione mutari poteſt? minimè: quin potius, uti dies nec modus eſt tollendæ aut inducendæ obligationis, & ſolutionem tantum reſpicit: ita nec obligationẽ naſci impediet, ſed hoc ſaltẽ efficiet, ut obligatio, quæ propter contractum verè ſubeſt, ſit hoc aut illo modo ex tempore affecta. Proinde cum eadem ſit obligationis & actionis enatæ ratio, ſive promiſſionẽ cum die, ſive ſimpliciter et absq́ ea factam dicamus: nemo iam dubitabit marito, quoties in diem obligatio concepta eſt, non ſecus actionẽ concedendã, atq́ purè quid eidẽ promiſſum fuiſſet. Quò pertinet, quod et obligationi, quæ pure contracta eſt, tempus aliquod ineſſe, lex ipſa velit: quæ etſi à ſuperiori eo nomine diſtet, quod in hac debitor humanitatis intuitu ſolutionem præſtare confeſtim non cogatur: in illa, ut ante adventum temporis conueniri non debeat: hoc tamen commune habent, quod in utraq́ talis enaſcatur obligatio, reſpectu cujus is, qui promiſit, debitor verè dici & eſſe poſſit. Et hanc interpretationẽ ut recipiamus, alia juris ratio nos impellit. Nemini .n. incognitũ eſt, diei adjectionẽ duorũ generum eſſe. Vnum eorũ, qui adyciuntur quidem differendi cauſa, ſed differendi

obli-

obligationem non ſolutionem: alterum eorum, qui nullius omnino obligationis differendæ gratia adponuntur. Hujus generis diei certi promiſſio eſt, alterius incerti. Nam ut rectiſſimè admonet quidam noſtræ ætatis Iurisconſultus celeberrimus, ex more loquendi autoribus juris uſitato illa, in diem promiſſio nominatur, quæ eſt in diem tantũ, nec præter diem conditionem ad differendam obligationem habet: quod ſecus euenit in ſtipulatione in diem incertam concepta, quæ diem habet illa quidem, ſed præter diem conditionem, à qua æſtimatur, et ex qua, ut præcipua parte, nomen accipit. Cujus inveſtigationis utilitas in eo eſt, ut hanc promiſſionẽ marito factam, ab obligationibus, quæ conditionem habent, ſegregamus: quarum naturam cum induat promiſſio in incertum diem relata, veluti quæ ideò adjci intelligitur, non ut eo die ſolvatur pecunia, ſed ut ex ea debeatur: manifeſtũ ſanè erit, neq; ſecundum hanc quæſtionem noſtram judicandam, ſed prout ſtipulationis vis atq; natura requirit, rem totam perpendendam eſſe. Præterea ſi verum eſt, uti probatione indigere minimè exiſtimo, quod Vlp. ſtatuit, diei adjectionem pro reo eſſe, non pro ſtipulatore: ita ut promiſſor, ſi velit, poſſit quidem præuertere terminum deſtinatæ ſolutionis, non autem ad promiſſam ſummam ante lapſum diei cogi: cum in ſuum ipſius favorem, non in gratiam ſtipulatoris, diem ſolutioni præfixerit: qualem hic facultatem reo adſcribes liberandæ obligationis, ſi ea nunquam adfuerit, num illud exolvere eum poſſe cenſes, in quo antè obligatus nunquã fuit? Itaq; prodeſt hæc ſolutio ſtipulatori pariter &

in d. l. eum qui §. 1.

pro-

promiſſori. Stipulatori ad eas omnes res, ad quas perficiendas quodvis debitū, et vel ſola naturalis obligatio prodeſſe poteſt. Quid .n. ſi hanc ob cauſā ſolutū aliquid fuerit, et promiſſor illud tanquā indebitè ſolutū repeteret: hic cum debitū exoluerit, condictionē quoq; ipſi denegandā eſſe Paulus[a] noſter ſtatuit. Quid ſi eandē in cōſtitutum deduxerit, conſtitutū ſine dubio valebit, ut et Vlp.[b] reſpondet. Quid ſi nouationē introducere voluerit, neq; ea inefficax erit cum ex legum momentis certi ſimus, qualemcunq; obligationem etjam naturalem, novari verbis poſſe. Similiter et promiſſori in eo ſatis proſpectum eſt, quod ante adventum diei, etiā invito creditore pecuniā eidem offerre poſſit, non tantum ut periculū, quod in ea antea ſuſtinuit, ſiquidē in ea accipienda morā faciat creditor, transferat: ſed etiam ubi pecuniam recipiat, hoc ad liberationem ſibi plenè proficiat. Quæ omnia ex eo fonte promanare videmus, quod debitum ante revera adfuit, quod niſi debitum fuiſſet, neq; id ſolvere potuiſſet promiſſor, nec ſi dediſſet ultrò accipienti, liberaretur. In quo audiamus, quid Celſus[c] reſpōderit de ea ſtipulatione, in qua neq; ceſſit neq; venit dies, ut ſiquidem promiſſor, priusquā factū aliquid fuerit, id quod promiſſum eſt, dederit: cum nummi nondum debeantur: in ea quoq; cauſa ſolutio eſſe debeat, ut quod creditor accepit, cogatur illud veluti deficiente conditione reſtituere. Nempe quod in obligatione conditionali, tantiſper quod promiſſum eſt, non modo peti non poſſit, ſed ne deberi quidem :, eoq; rectè ICtus Vlp.[d] reſpondit, ne novationem quidem ex tali obligatione induci poſſe :

a l. in diē 10. de con:. indeb.

b l. 3 §. fin. de conſt. pecun.

c l. qui promiſit 48 de cond. in deb. l. ſtipulatio iſta §. inter de V.O.

d l. quoties 14. de nouat.

G non

non minus rectè Paulus,[a] *qui eam in conſtitutum deduci negauit. Qui effectus, veluti ex contrarijs orti qualitatibus, niſi diligenti inueſtigatione perſcrutentur; nemo nati‑uam inter obligationes in diem conceptas, & quæ ſub conditione ſunt, differentiam aſſequetur: quam tamen ICtos non vno loco, ſed multoties, non remiſſè ſed anxiè propoſuiſſe & inculcaſſe, neminem niſi ciuilis ſcientiæ rudem, latere poteſt. In quas anguſtias ne redigamur, verum eſſe exiſtimemus quod iam firmaui, ex tali promiſſione, in diem marito facta, obligationem & actionem reuera adfuiſſe, eamq́ ad maritum vigore pacti tranſire iure debuiſſe.*

[a] l. id quod 19. de cõſti. pecu.

Indeq́ ſimul collabaſcit illud, quod à te modò adductum eſt, maritum neq́ vxoris nomine, neq́ proprio agere poſſe, & propterea in tuto eſſe patrem, vt poſtquam in fata collapſa fuerit filia, ob dotem promiſſam conueniri amplius non debeat. Cuius namq́ obuiũ eſt, ex tali promiſsione obligationem & actionẽ fuiſſe enatam, indeq́ maritũ vxoris nomine, ſi ea etiã num vixiſſet, agere potuiſſe: ea vero mortua, ius illius propter pactum aut ſtatutum in maritum translatum eſſe. Quod ipſum non ſine ratione voluiſſe viſus eſt Bart.[b] *qui obligationes in diem conceptas, tranſire ad hæredes tunc poſſe exiſtimat, quoties tales res in ſtipulationem deductæ ſunt, quæ ut hæredibus competere debeant, juris aliqua ratio impedire nequit. Quocirca in hanc ſententiam me procliuiorem reddit non tantum quod ex Vlp. allegatum eſt, dotem conſtante matrimonio, propri‑*

[b] l. ita ſtipulatus 5. nu. 39. in fi. de V.O.

proprium mulieris patrimonium dici: ſed etiam quod Paulus [a] notat, eam licet promiſſam duntaxat in bonis vxoris eſſe. Hanc enim quia ſuo nomine, dum vixit, obtinuit mulier, eò facilius per ſucceſsionem, vti pactum vel lex requirit, ad maritum deferre eandem potuit. Idq́ in noſtro foro vel ideò magis dicendum, quod filia per contractum matrimonij ſacris paternis egreſſa, propria bona poſsidere incipit: in quibus, prout ne uſum fructum amplius viuente filia retinet pater: ita nec ſuccedendi quodam jure adverſus alios filiæ hæredes, ſeſe defendet.

[a] l. cum poſt. 43. §. 1. verſ. quia doté habet de admin. & pericu.tur.

Nec jam de eò multum laborandum, num ex contractu vnius alteri quæri obligatio poſsit. Quid enim, an non concedit ius, alterius conditionem facere meliorem? vtiq́ hoc & naturalis ſimul & ciuilis ratio ſuadet, vt Caius [b] teſtatur. Itaq́ ſi per aliũ alteri acquiri poſſeſsio, & per poſſeſsionem dominium iure poteſt: quid obſtabit, quo minus & obligatio ex pactione mariti, tranſire in mulierem debeat. Hoc namq́ quod vxoris nomine à marito geſtũ eſt, ab ipſa vxore geri intelligitur: non minus atq́ ex contractu tutoris actionem in pupillum etiam abſq́ ceſsione tranſire, eſt in confeſſo. Vnde nihil quoq́ immutari video, quod ex reſcripto Impp. Diocl. et Maxim. [c] obijciunt. Qui ea in quæſtione, num ſi pater ſtipulanti marito dotem promiſerit, actio marito an filiæ competere debeat? conſulti reſponderunt, marito potius actionẽ tribuendam quam filiæ. Hinc cum filia, dum adhuc in viuis eſſet, nullum ius ex tali ſtipulatione inter ſocerum & gene-

[b] l. ſoluendo 39. de negot. geſt.

[c] l. 5. C. de dot. promiſſ.

rum

rum inita habuerit: hoc inferendum exiſtimant, neq; ad maritum mortua vxore ex perſona eiuſdem peruenire quicquam potuiſſe. Præterquam enim, quod illud ſi rectè perpendatur, ſententiam noſtram magis firmet, de Actione, quæ marito conſtante matrimonio concedenda eſt, loquitur. Abſurdum namq; eſſet, vt Arius Pinell. animaduertit, exiſtente viro mulieri (quæ forenſibus negocijs eximitur) dotis nomine actionem aliquam tribui debere. Ac demus vxoris nomine eo in reſcripto actionem marito competijſſe, quid tamen ad euertendam ſententiam noſtram hoc proficiet? Neq; enim quæſtionis propoſitæ vis in eo tantum conſiſtit, num propter vxorem actionem habeat maritus, ſed etiam quod obligatio & actio in maritum jam translata ſit ex pacto. Proinde quod allegari inſuper ſolet, cauſas conſtituendæ dotis, in ea, quæ iam nuptui elocata eſt, conſiderari minus debere: tam ab hoc noſtro inſtituto alienum eſt, quantum ab ipſa luce tenebræ diſtant. Non enim rationes hic, quibus parens ad dotis traditionem adſtringitur, reſpicimus; non alimenta, quæ mulieri viuenti à marito exhibita ſunt, ſpectamus: non onera, quæ maritus conſtante matrimonio ſuſtinuit, intuemur: ſed pactionem à patre marito factam: ob quam non voluntati illius relinquitur amplius exoluere dotem, vt Andr. Alciat. & Coras. voluerunt, ſed neceſſitati, ad quam legibus quoq; noſtris eundem obſtrictũ eſſe Duar. Menoch. & alij rectius docuerunt.

Porrò, ſi vt Quintil. admonet, omnis quæſtio Iuris aut verborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis con-

tis coniectura contineri debet: in cos nos aberrare minus exiſtimandum eſt, quod atteſtante[a] Anto. Guibert. Coſtan. veteres Conſulti, qui recti ſermonis obſeruantiſſimi fuerunt, dotem tantummodo promiſſam propriè dotem nominare conſueuerunt. Hoc enim & Scæuolæ[b] ICto. prudentiſſimo placuit, idemq́ Iauolenus[c] & Marcellus[d] voluerunt. Quo nomine & filia ad ſuſceſſionem veniens vna cum fratribus ex diſpoſitione juris, quod primitus filiam dotem conferre debere introduxit, non tantum dotem datam conferre tenetur, ſed etiam promiſſam, vt pro portionibus fratres eius à neceſſitate præſtandæ eiuſdem liberentur.[e] Quamobrē quod pleriq́ inferunt: Dotem oneribus matrimonij inſeruire debere, indeq́ nomen à datione traxiſſe, vt niſi tradita marito dos ſit, neq́ effectum veræ dotis ſortiri vllo modo debeat: de eo accipiendum eſt, quoties dotis promiſſionem, nuptiæ inſecutæ non ſunt. Sic enim Hermogenianus,[f] vel vt alij Hermogenes ICtus, dotem à ſponſa datam exemplo dotis conijci reſpondit, quod abſq́ matrimonio illa eſſe nequeat. At ſi debetur marito ex promiſſione, tunc licet actu non deſeruiat, quia tamen deſtinata eſt, vt deſeruiat, poſt contractum matrimonium verè quoq́ dos nominari poteſt. Quam interpretationem in ſtatutis quoq́ receptam eſſe, ex ijs quæ Phanucius[g] & Roland. à Valle,[h] in libro de dote luculenter tradiderunt, haud difficulter conſtabit, qui cum dotem promiſſam à lucro dotis adeò non ſegregent, vt eandem ad maritum defuncta vxore tranſire debere exiſtiment: illud relinquitur, hæc quæ dicta ſunt, expoſitioni

[a] In tract. de dotib. cap. 2. nu. 12.

[b] l. Theopompus de dot. præleg.

[c] l. nuptū. 57. de Iu. dot.

[d] l. ſi mulier 59. Eod.

[e] l. 2. C. de Collat.

[f] l. ſi. ſponſa. de Iur. dot.

[g] Phanuc. de Phanucijs in u. reſtituenda. nu. 2.

[h] Rol. à Vall. quæſt. 5.

 ſtatu-

ſtatutorum & quam illa requirunt verborum proprietati cũprimis conuenire. De æquitate verò, quæ in obſcuris præcipua eſſe ſolet, ideo minus hic dubitandũ quod maritus, qui onera matrimonÿ ſuſtinuit, dotis lucro carere non debeat: cujus rationem Vlp.[a] *allegare videtur, ne fructus dotis ab oneribus matrimonÿ ſeparentur, quodq́ indigniſſimum eſt, inducatur, vt non habuiſſe dotem exiſtimetur.*

a l. cũ pater 11. pact. dot.

Taceo, quod repentinus caſus mortis, hoc lucrum marito auferre non debeat. Nã et ex voluntate contrahentium actum hoc ipſum intelligitur, Voluit quippe pater ita dotem conſtituere, ut ſi filia fatali fuerit ſorte conſumpta, dos apud virum remaneret: non potuit autem remanere, niſi eandem vel exegiſſet, vel exigere adhuc poſſet.

Concludunt poſtremò communem opinionem magnam vim, inſignem autoritatem in controuerſijs decidendis obtinere, approbante non Pontifice tantum, ſed et legiſtarum frequenti ſchola: ſic ut eidem tantum tribuant nonnulli, ut eam ſequi oportere cenſeant, etiam ubi ſuſpicentur veritatem juris eſſe in contrarium: qui eo nomine communem ſine alio delectu opinionem ſequuntur, quod in portu, quam in alto mari navigare, putent eſſe ſecurius. Quam & ob cauſam fortè, quidam ex aduerſæ opinionis defenſoribus fateri non dubitat, ſe ob eandem & receptam pronunciandi conſuetudinem, contrarium defendere minimè voluiſſe. Sed cum miſerum ſit, ut ait Iuvenalis, aliorum incumbere famæ;

Thomin. decis. 29. nu. 5.

nec

nec ex multitudine autorum, quod melius & æquius eſt, judicare debeamus, cum poſsit unius forſan & deterioris ſententia & multos & maiores aliqua in parte ſuperare, teſte Imper. noſtro: neq; communis opinionis nomen, in cauſæ huius deciſione ita valere debet, ut qui cum veritate aliter ſentiant, errare aut labi dicantur. Fateor equidem communi ſententiæ adhærendum, ſed quæ vel textibus juris muniatur, vel certe nulli textui nulliue rationi juris aperte refragetur. Alioquin vel textu plane deſtitui, vel expreſſæ rationi refragari, quid aliud eſt, niſi in apertiſsimis noctuæ inſtar cæcutire, & ſemetipſum in deterrimos errores conjcere. Itaq; eæ ſententiæ, quæ textibus fulciuntur, jam non quia communes, ſed quia juris ſunt, etiamſi ſolus quiſpiã docuerit obtinebunt: ſin textibus obvient, tanquam Syrtes ſunt evitandæ. a l. 1. § ſed neq; C. de vet ju. enucl.

Ex quibus exploratum nobis & quaſi perſpectum eſſe debet: nihil quicquam ab ijs tam firmum aut ſtabile adduci poſſe, quod non ſimplici, recta, convenienti & conſtanti ratione divelli & dimoveri queat. Neq; ſententiam eorum admittendam exiſtimo, diſtinguentium, utrum bona filiæ ſeparata fuerint ab hæreditate paterna, eiq; ſemel acquiſita & per ſucceſsionem in filiam translata, veluti quando mater aut tutores ad dotis conſtitutionem tenentur: an verò hæreditati adhuc conjuncta & indiviſa: qui fieri poſſe putant, ut in illo maritus actionem inſtituat, in hoc nequaquam. Coler. part. 1. cap. 3. nu. 248.

Hæc enim diſtinctio ſalva tantorum virorum pace adeò à veritatis luce remota eſt, ut ad harum ſententiarum conciliationem, vix ac ne vix quidem adduci poſſit. Neq; enim bona filiæ hic conſideramus, nec hæreditatem intuemur, ſed promiſſionem filiæ aut marito factam: non ſolam filiam inſpicimus, ſed patrem, qui ex promiſſione obſtrictus eſt, eamq; ad hæredes ſuos tranſmittit. Etenim ſi ad hæreditatem ſpectemus, vigore cujus maritum excluſum eſſe antea audivimus, utiq; pactionem conſiderare non poſſumus, ſi bonorũ diviſionem, certè nec promiſſionem. Quod ſi vero per promiſſionem patris redacta jam in patrimonium mulieris ipſa dotis exactio eſt, quid aliud conſequitur, niſi ut diviſionẽ à patræ jam factam eſſe colligamus, eaq; de cauſa ad maritum eandem tranſmittamus. Idq; eo facilius, quod talis promiſſio dotis bonorum mobilium jure rectè reputetur, & ea propter ex ſententia Nobiliſſ. Iuriſconſulti Andr. Gail et aliorum ipſa quoq; exactio veluti res mobilis, æſtimetur: ob quam maritus vigore pacti aut ſtatuti, ſucceſſione gaudere merito debeat.

Hinc & Saxonica lex, ea debita præmortuæ uxoris lucrari maritũ vult, quorum ſolutionis dies lapſus et exactus nondum eſt. Nimirum quoties illa in ſimplici pecuniæ & rerum mobilium promĩſſione conſiſtunt: in qua cum noſtra verſetur quæſtio, certo jure vtimur, eam quoq; prout patriæ leges requirunt, finiendam eſſe.

Hæc ſunt, quæ in harum opinionum collatione afferre volui, in qua pleraq; hac anguſtia temporis, non tan-

quam

quam luſtrandi cauſa huc venerimus, ita inſpicienda, ſed q. tranſitu feſtinato aſpicienda fuere, et cùm notanda præcipua, tùm pleraq; à tergo relinquenda. Ex quibus hoc apparet, conſtanter & innixis pedibus huic ſententiæ inſiſtendum eſſe, cum nihil habeat abſurditatis, nihil iniquitatis: ſed ſit legibus noſtris conſentanea, tot ICtorum reſponſis clara, verborum proprietati conveniens, dotibus amica, à noſtris demũ pronunciando recepta, confirmata & approbata. Nec dubium erit, quod ſi hanc in ferenda ſententia ſervaverit Iudex, dici de eo poſſe, quod pro Cluentio teſtatur idem Tullius: Sapientis judicis eſſe, ſemper non quid ipſe velit, ſed quid lex & religio cogat cogitare: improbi & nefarij, qui ſuos affectus legum autoritati præponat. Vnde & Xenoph. eam juſtam eſſe ſententiam dicit, quæ cum legibus congruat, non quæ huic aut illi juſta eſſe videtur.

Faxit præpotens ille Deus, ut ex hiſce & ſimilibus opinionum involucris et ignorantiæ carceribus, illato doctrinæ lumine emergere, atq; ad ſcientiæ ac ſapientiæ cognitionem conſcendere & aſpirare poßimus: noſq; ſperantes in latibulo alarum & tanquam umbraculo miſericordiæ, Spiritu ſuo Sancto regat, tueatur, defendat.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ

PROPOSITIONES.

DESVMTÆ EX L. APERTISSIMI. C. DE IVDIC. c. SVSPICIONIS. EXT. DE OFFIC. ET POT. IVD. DEL. c. cum ſpeciali. ex. de appella. cum ſimilib. de quibus præſidente Eodem VVESENBECIO, reſpondit

THOMAS FRANZIVS MAGDEBVRGENSIS.

I.

VT æqualiter procedant iudicia, neuè indè iniuriarum naſcatur occaſio, vnde iura reddi debent, inter alia conſtitutum eſt, vt liceat cuiquè qui iniquum aut ſuſpectum ſibi iudicem putat, eum recuſare.

2 *Sic tamen vt non friuolam cauſam, ſed probabilem ſuſpicionis metuſuè de ſiniſtra iudicis in ſe affectione habeat.*

3 *Vt puta quod patronus in eadem cauſa fuit, quod inimicitia (etiam reconciliatione ſopita) iudicem inter & ſe intercedant.*

4 *Aut quod conſanguinitate vel affinitate aliqua, amicitiauè aduerſario iungatur.*

5 *Item ſi dicatur pari laborare cauſa, aut commodum vel periculum ex lite qua iam vertitur, expectare.*

6 *Vel ſi aduerſarij ſit Vaſallus ſubditusuè, vel popularis, aut ſi qua alia ſimilis cauſa allegetur.*

7 *Plures enim ſolent incidere, quarum pleraq́ quantum ad iu-*

ad iudicem remouendũ valeant, quantumq́; iuſtæ ſint, arbitrio iudicantium relinquitur.

8 Dummodò hi meminerint, ob quaſcunq́; cauſas procurator, arbiter vel teſtis reſelli ſolet, ob eaſdem & Iudicem (quatenus congruunt) recuſari poſſe.

9 Arbitros porrò iſtos ſtatim poſt oblatum recuſationis libellum litigatores optare coguntur, aut illis diſſentientibus magiſtratus partes ſuas interponit.

10 Neq́; ſolum porrecto libello, hoc eſt, in ſcriptis recuſatio facienda eſt, ſed & cauſa reiectionis exprimenda, ac plerumq́; probationibus dilucidanda, vt iure, maximè pontificio, proditum eſt.

11 Probabitur autem corám electis, de quibus diximus, arbitris, vel corám recuſati collega, ſi duo pluresuè delegati fuerint, nec tamen omnes reÿciantur,

12 Quod ita procedit, ſi à principe dati ſint cum clauſula: Quod ſi ambo vel omnes intereſſe non poteritis, tunc cæteri in cauſa progrediantur.

13 Tantundem ferè eſt cum alterius inferioris, vt Epiſcopi, delegatus arguitur ſuſpicionis: Nam nec hoc caſu aſſumuntur arbitri, ſed probanda cauſa eſt corám delegante ſeu ordinario & ab hoc diÿudicanda.

14 Sed an Iuramento hic locus erit? Id minus Iure Ciuili quàm Canonico dubitationis complectitur, Nos nec huic diſſentaneum arbitramur, ſi deficiant ordinariæ probationes, tunc ad iusiurandum perueniri.

15 Et ante quidem litem conteſtatam cuncta hæc explicari conuenit, nam qui litem conteſtatur corám Iudice, tacitè cauſis recuſationum, quas in eum adferre potuit, renunciaſſe, inq́; Iudicem conſenſiſſe intelligitur.

17 Niſi fortè lite iam conteſtata, vel poſtquam in cauſa concluſum eſt, noua quadam ſuſpicionis cauſa ſuperuenerit, quæ nulla, aut incomperta fuerat antè.

18 Quæ omnia in Iudicibus delegatis ſine dubitatione obtinent, & non ſolùm ex parte Rei, ſed etiam in perſona Actoris obſeruantur.

19 Quin etiam, licet ad alterutrius tantum preces Iudex fuerit datus: tamen verius eſt ab illo quoq; qui impetrauit, ex noua cauſa recuſari remoueriq́, quaſi ſuſpectum poſſe.

20 Sed quid de ordinario? occurrit certè quidem hic diſtinctio exiſtimantium, ex Pontificijs conſtitutionibus hunc ob ſuſpicionem recuſari aquè poſſe. Iure autem Ciuili receptum, non in totum remoueri, ſed hactenus vt alius illi adiungatur.

21 Attamen dici poteſt, Pontificio quoq; Iure perpetuum non eſſe ordinariũ penitus reijci: Et rurſus; Iure Ciuili non ſemper ei collegam adiungi, ſed interdum omninò ſummoueri.

22 Hoc amplius, recuſationis libello oblato, Iudicis delegati cognitio Iure ciuili extincta, vtriusq́ Iure Canonico, donec de iuſticia ſuſpicionum allegatarum planè cognitum fuerit, ſuſpenſa eſt.

23 Quid ſi Iudex ſpreta recuſatione in cauſa proceſſerit, annè ab eo appellari debet, an verò proceſſus ipſo Iure nullus eſt? quod magis exiſtimamus dicendum.

24 Hoc inſuper notandum, ſi arbitri iniquè pronunciauerint, appellari ab eis, & ſi pòſtquám electi ſunt, ſuſpicionibus ſe commaculauerint, recuſari eos licitè poſſe.

25 Haud facilè tamen poſt duas recuſationes, vlterior erit admittenda.

26 Quæritur an ea quæ de Iudicum recuſatione diximus, etiam in curia iudicum, conſilio vel Senatu locum reperiant: Negant id aliqui, nòs in partem alteram propendemus magis.

27 Sed neq; illud paſſim admittendum, neq; diſtrictè reijcien-

ÿciendũ, quod aiunt, Iudicẽ ita dari à principe ex certa ſcien-tia poſſe, vt recuſari non poſsit, verbi cauſa: ſi committat cauſam cum clauſula: Recuſatione remota, ſeu non obſtante.

DECANVS COLLEGII IV.RECONSVLTORVM IN ACADEMIA VVITEBERGENSI.

PETRVS VVESENBECIVS D.

MVlta veteres in creandis Doctoribus, Vtriusq́; præſertim Iuris, obſeruauerunt, quæ pleraq́; etiam nunc in hac academia obſeruantur diligenter. In his haud parum rationis & vtilitatis continet, quòd gradu & inſignibus Doctoralibus nemo ornatur, niſi prius cùm in diſputatione prælectionibusq́; publicis, tùm alijs examinibus ſuæ doctrinæ & profectus ſpecimen exhibuerit. Nam præterquàm quod ex huiuſmodi homilijs & collationum exercitijs, etiàm commodi quid ad auditores redundat: ſapiens certè antiquitas crebrioribus inueſtigationibus experimentiſq́; opus eſſe putauit, ne Magiſtri ſtudiorũ Doctoresq́; lapſi, & velut obreptione in captionem inducti præcipitent ſua iudicia, & ad functiones Remq́; publicam minus idoneos protrudant. Quemadmodum enim ignis rarò è ſilice elicitur vno vel primo concuſſu, ſed repetitis demum plerumq́; ictibus: ſic, quorum operа tutò vti queat Reſpublica, multò certius cognoſcitur ex pluribus & diuerſis explorationibus: Quomodo & Vlpianus noſter alibi oſtendit: Idem his vel pluries interdum fieri diciuène qua dubitatio ſupereſſet. Etſi autẽ, quod attinet ad Doctiſ-

que Iure progreſſus nobis probauarit, nihil ſcrupuli ut habea-mus, quo minus ipſum citra ulteriorem diſquiſitionis curam ad Doctoris gradum admittere poſsimus: quoniam tamen σο-φῶν ἐστὶν ἀνδρῶν ἐμμένειν τοῖς παλαιοῖς ζηλώμασιν, ut inquit Athenaus in 6. viſum fuit ſecundum Academiæ huius inſtitu-ta receptasq́; conſuetudines iniungere quoq́; ipſi, ut celeberri-mam, variè ab interpretibus diſputatam atq́; declaratam L. III. cuius initium eſt: IMPERIUM: D, de Iuriſdict. omn: iudic. publicè ante gradus & tituli Doctoralis aſſumtionem interpretando tractaret, præſertim cum in materia tàm diffi-cili & perobſcura non poſsit non & eius ingenium atq́; indu-ſtria magis eluceſcere, & res iſta cum Auditorum coniuncta eſſe commodo. Quandoquidem igitur hanc interpretationem mox ſit aggreſſurus, non tamen abruptè prorſus & illotis, quod aiunt, manibus, ſed prius ad Mercurij diem hora ante meri-diem IX. facta, pro more & ex inſtituto noſtrorum, aliorumq́; docentium, præfatione aliqua, & quidem de argumento à ma-teria dicta Legis III haud prorſus alieno, optimo ſcilicet Rei-pub: ſtatu: His de cauſſis hortamur IURIS STUDIOSOS, ut in auditorio Iureconſultorum tempore commemorato fre-quentes adſint, et huic Candidato noſtro operam tunc tempo-ris & ſequentibus deinde aliquot diebus hora matutina VII. auſcultando dent ſedulam: cuius opera vel iactura temporis ſi quem pœnituerit, nos damnum præſtabimus. Ut enim in pri-oribus exercitationibus noſtram de ſe opinionem minimè fe-fellit, ſic & hic digna auditu, digna cognitione veſtra, noſtra etiam expectationi conſentanea allaturum eſſe planè confidi-mus. Quod ſupereſt DEUM obteſtamur, ut hæc noſtra & alia liberalium ac neceſſariarum artium ſtudia porrò quoq́; foueat & promoueat, iſtamq́; Academiam florentem diu conſeruet. P. P. XIII. Aprilis, Anno nouiſsimi ſeculi, ſupra milleſimum, quingenteſimo & octogeſimo nono.

IDEM

IDEM DECANVS LECTVRIS. S. D.

INter eos qui hoc tempore petiuerunt à nobis publicum ſui in vtroq; iure profectus teſtimonium, ex ſcholaſtica vmbratili exercitatione in lucem Reipublicæ, quaſi in aciem progreſſuri, obtulit ſe quoq; vir doctiſſimus ornatiſſimusq; Dominus GEORGIVS VOLRADVS AVERBACHIVS, iudicij prouincialis in hoc Electorali diſtrictu Aduocatus. Et quanquam ſtatutis noſtris, atq; receptæ & probatæ conſuetudini, tam diſputando publicè, quam priuatim examina, & cenſuras collegij noſtri ſubeundo, ſatiſfactum ab ipſo ſit cumulatè, aliundè etiã quid quantumq; præſtare valeat, præſertim in practica, vt nũc loquimur, & vſu forenſi, probè cognitum ac perſpectum habeamus: quia tamen, virtute, vt inquit Plautus, ambire oportet, non fautoribus, & alia cauſa magnæ ſunt, ſicuti proxime oſtendi, cur in eos, quorum reſpectus in honoribus conferendis & Reipub: functionibus credendis habetur, aliquoties, nec vno genere experimentorum inquiri ſoleat diligenter: teneri haud potuimus, quin & ipſi prouinciam publice aliquid legendi interpretandiq; mandaremus. cum autem in eiuſmodi exercitationibus, non minor ducenda ratio ſit Auditorum, quàm Lectoris, ſiquidem, vt præclarè Tullius ait, fructus ingenij & virtutis, omniſq; præſtantiæ tum maxime capitur, cum in proximum quemq; confertur, tale argumentum & materiam interpretationis præfato noſtro candidato attribuimus, vnde capere liceat, quod in mores & in negocia vtiliter transferant ordinis noſtri homines, hoc eſt ſcholaſtici. Nam cum contra- [illegible]

nullo modo credet doctrinam L. certi 5. C. de loca. & cond. valde ipſis accommodatam atq; vtilem eſſe? qua inprimis traditur & excutiendum eſt, quomodo & quæ invecta atq; illata per inquilinum in habitationem vel prædiũ obligentur & pignori nectantur pro penſione & abuſu rei conductæ. Sed non inſtituo huius materiæ commendationem hortor: potius STVDIOSOS, *vt frequentes & cum attentione explicationem candidati noſtri audiant: ad quam quidem vt viam muniat faciliorem, & ſimul conſuetudini pareat, breuiter quædam proximo Mercurij die, hora IX in auditorio juridico præfabitur: dehinc hora matutina ſeptima, legem, quam dixi, explanaturus. Bene feliciterq; valete, &* DEVM *orate, vt juriſprudentiæ aliarumq; artium optimarum ſtudia inter nos clementer conſeruet & adſit noſtris congreſſibus, qui ſunt parua quædam vmbra dulciſſimæ ὁμιλίας, qua Eccleſia in vita æterna perfruetur. Propoſ. III. Maij. Anno nouiſſimi ſeculi milleſimo, quingenteſimo, nono & octogeſimo.*

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE